

I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII



69. LX.

63

Γ Α Μ Η Λ Ι Α

Solennitati nuptiarum secundarum

Clarissimi & Consultiss. Viri

Dn. D A V I D I S J. U. D.

Reverendi & doctissimi Viri, M. ZACHARIE VVENNEMEYER I, Ecclesiæ Plötzkavianæ & Vvirsrebiensis ad ripam Salæ pastoris vigilantiss. filij,

S P O N S I,

Cum

Honestissimâ ac pudicissimâ virgine

A G N E T E,

Reverendi & doctissimi Viri M. SIMONIS REINHARDI, Ecclesiæ Hoimensis pastoris vigilantiss. filiâ,

S P O N S A,

Bernburgi Anhaltinorum die V. Decemb. Anni MD CVIII celebratarum.

Ab amicis

Nuncupata, pacta, cantata.

Servestæ excudebat Christophorus Vveida.

61.





EPIGRAMMA.

In laudem Sponsæ, virginis lectissimæ &c.

Pulcra quidem GEMMA est Eoo in littore
nascens, (matici.

Pulcra quoque est AURI bractea Dal-

Pulcra itidem VIOLA est, riguis quæ nascitur
hortis,

Pulcra ferens dulces VITIS opaca botros.

Pulcra, comis teneris florescēs semper OLIVA

Pulcra etiam Idaliæ quæ ROSA sacra Deæ
est. (cra

Pulcrior est AGNES, quanivis sint omnia pul-

GEMMA, AURUM, VIOLÆ, VITIS,
OLIVA, ROSA.

C. L.

Votum.

Votum ad Clarissimum & Consultif-
simum Dn. SPONSUM.

Vetus poëta dicit, esse maximam
Rerum vicissitudinem.
Id veritati convenire, comprobat
Hic quicquid orbis continet.

Poli utriusque contuere fabricam

Motu perenni obnoxiam.

Omnes Planeta, cuncta caeli sidera,

Suis rotantur circulis,

Et unde discessere sedes in suas,

Stato recedunt tempore.

Nunc terra mæret frigore, atque in omnibus

Imago mortis cernitur.

Mox tota ridet, arborésque germinant,

Et omne floret herbidum.

Suos fluent a tramites currunt, & in

Tubos recurrunt pristinos.

Nunc pellit imbres, hinc citò planè obruit

Serenitatem nubibus

A 2

Aère,

Aëre, pruinis nunc riget, mox fervido
Calore frigus temperat.
Sed illa natura ferè stant legibus
Suòque fiunt ordine.
Quæ verò homo experitur indies, typus
Majoris hujus machine,
Determinata nec modo, nec ordine,
Vices subinde replicant.
Si forsàn hora leta nunc obvenerit,
Nescit diu persistere.
Hoc ipse posses proloqui, Sponse optime,
Juris Sacerdos inclite.
Nam diva postquam te novis mactaverat
Astræa ritè honoribus;
Ut & pudicâ, Cypris alma, virgine
Novè maritum fecerat;
Et vix recentiprole te beaverat,
Vitæ futurâ gaudium;
En inde præstò mœror extat anxius,
Tui inque pectus occupat.
Acerba dulcem namque mors charissimâ
Cum prole, tollit conjugem.
Sed sicut, horum quicquid evenit piis,
DEI voluntas ordinat: Ita

Ita ille permutare novit tristia
Magnis repente gaudiis,
Suos nec omni fluctuare tempore
Sinit sub aspera cruce.
Loco frequenter dirimet, quò postea
Intutiorem collocet.
Suos necare morte quandoq; assolet,
Ut gloriosè suscitet.
Sic te ergò Sponse, Doctor & clarissime,
Mœrore pulso recreat
Deus, tibiq; gaudia illa pristina
Novis reducit nuptiis.
Tibi en decora & pulchra virgo jungitur,
Præclara castis moribus,
Pietate præstans, ore suavis lacteo,
Vita ô leuamen optimum.
Tuis medetur illa curis suaviter,
Thorumq; rursus integrat.
Rerum hæc tuarum fida erit custodia,
Domus laborum particeps.
Proinde, Sponse docte, letus accipe,
Ejusq; gaude amplexibus,
Quam non caduca fors dedit, sed unicè
Dei voluntas provida. A 3 Hanc

*Hanc, Sponse, quantò ardentiore diliges
 Et puriore pectore,
 Tantò favorem in te tuamq̄, fortiùs
 Summi parentis senties.
 Nam nulla res in orbe, casta lectuli
 Præter jugalis fœdera,
 Illum quæ amorem plus DEI deprædicet,
 Suos fideles quo fovet.
 Quod restat, opto, cum tuâ feliciter
 Diuq̄, vivas prosperè,
 Tibiq̄, fiat, quod propheta Jeshides
 Psalmo recenset nobili,
 Quem consecratum mitto nunc tibi, modis
 Anacreontis redditum.*

Παράφρασις Ψαλμῶ 8η,

ΑΝΘΡΩΠΩΣ ὅς φοβείται
 θεόν, τρέψετε αὐτὸν
 καλῶς αἰεὶ βαδίζει,
 μάκαρ τὸ ὄλω ἐστίν.

Μόχθων γὰρ ἐκ ἀπάυστων
 πολλὸν τὸ βρῶμα λήψη.
 θεὸς ἴ ἀπαντὰ δώσει,
 εὐκληρὸ ὄφρα εἴη.
 ὡς κλήμα πηλύκαρπον,
 δόν πολλὸν ἠδὲν οἶνον,
 τεῖ ἐν οἴκῳ αὐτῆ
 φίλη ἀνοιγίς ἔστα.

Σὺ τέκνα τερπνὰ, τερπνῶς
 τεὸν τὸ ὄμμα βλέψαι,
 ἐν κύκλῳ εὐτραπέζης,
 ὡς ἔρη ἐκ ἐλαμῶν.
 ἴδὲ τὰ δῶρα ἐσθλά
 θνητῶ δοθέντα ἀνδρεί,
 ζωὴν ὅς ἔλκει αἰεὶ
 ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ.
 ἐκ τῆ Σιών ὄψῃ
 ὄρθς, σὺ εὐλογήσῃ,
 ἐν ζωῇ ὄφρα ὀπίη
 τὰ ἐσθλά τῶν Σολύμων.

Τέκ-

Τέκνων τε τέκνα βλέψεις,
Τεῆς τὸ γαστρὸς ἄμμα

καὶ ὄφρα ἡ γαλήνη
τῷ παντὶ Ἰσραῆλι.

Johannes Fuhrmeister Ballenst.
Juris Cand. αὐτοχεδίως F.

ALIVD.

Quorundam patrum fuit intolerabilis error;
Criminis esse loco vota secunda pijs.
Quid? quod & Ausonio placet haec insania Caco,
Voce ministri ea non sanctificanda sacri.
Verius at nobis monstrat scriptura; sacra,
Et licita omnino vota secunda pijs.
Ergo patres isti, nec non Romanus Abaddon,
Ridentur merito, Doctor amice, tibi.
Et celo gratam rem coeptas, festa jugalis
Teda iterum repetis quod praecunte DEO.
Fecerat extincta prius hic te conjuge tristem,
Iam tibi nunc idem gaudia mille creat;
Dum tibi frigidula pro conjuge dulce reponit
Parthenium calido pectore & ore caput.
Quod visu licet haud usurparim ipse fideli,
Attamen aureolis auguror esse genis.
Nec dubito, sit quin inter censenda puellas,
Dulcia quaeis rubeus purpurat ora color.
Candida quaeis cervix, facies quaeis candida fulget,
Candiduliq; humeri, candidulusq; sinus.
Candida dextra quibus, frons candida, candida mamma,
Candidulaq; manus, candiduliq; pedes.
Praterea aethereas quia progenerat a sub oras
Dogmata Christicolae patre docente sacra;
Matremq;, qua fugit mala desidis otia vita,
Vrsit at assidue pervigil erga domus;

Imbibit

Imbibit & mores dubio procul illa parentum:

Cum procul haud proprio à stipite poma cadant,
Hanc adama efflictim (ah quis enim tam ferreus esset,
Ut talem odisset, *Sponse*, vel abjiceret?

Mutuò & illa tibi bene respondebit amanti.

Figet & admotis basia mille labris.

In gratiis Papa veniet benedictio Ihoua,

Voce sacerdotis qua tibi sponsa fuit:

Vt tibi nupta tuo secundo germine tectum

Impleat, & lecti pignora multa serat.

Solamenq; tibi mesto sit, & una voluptas,

Delitiaeq; tuae, divitiaeq; tuae.

Qua cum atatis ages tempus, vitaeq; secundos

Concordi duces federe quosq; dies.

Addo, triseclisenis nunc vivite Nestoris ambo

Et sine felle dies, nec sine melle tori.

Amicitiae ergò

Clariss. & consultiss. viro Dn. Davidi

Vvennemejero, J. U. D. secundas

nuptias celebranti posuit

M. Martinus Vierthalerus Cothen-Anhaltinus.

A L I U D.

R *Es probat, acta probant, nihil hinc stare ordine certo,
Quòd firmum est hodie, cras nihil esse vides.*

Tristia miscentur latis, miscentur amaris

Dulcia, & utilibus noxia, prava bonis.

VVENNEMEYERS exemplo est, clarissimus ille

Doctor, juridici lumen honorq; chori.

Abstulit huic sociam nuper mors atra MARIAM,

Abstulit & sobolem cum genetrice piam.

Hinc planctu & gemitu resonabant limina, multum

Cognatus flebat, tristis amicus erat.

Lectus

Lectus erat luctus; viduus sic ipse gemebat:
Heu! mea jam tecum est interitura domus.
At jam cessavit luctus; luctumq; sequuntur
Mille voluptatum gaudia, mille joci.
Intrat enim, thalamos iterum lectissima virgo,
AGNES, REINHARDO de genitore nata.
Nomini inest omen; nam casto casta JEHOVAM
Corde colit, casti casta pudoris amans.
Jure tibi hanc igitur, juris celeberrime Doctor
Eligis, electam debito amore foves.
Et nos jure damus gratantia carmina vobis,
Quos parilis casto fœdere jungit amor.
Vivite concordēs; cedent felicia cuncta
Vobis: innumerâ prole replete torum.

Christophorus Lelmius.

A L I U D.

Ergo Cupidineis nil non violabile telis?
Nec quisquam effugiet Cypridis imperium?
Sic reor; est etenim pueri violentia tanta:
Ut nunquam statuatur se nocuisse satis.
Non hominum, non est ipsi reverentia Divum;
Non matri ille suæ parcat, & ille patri.
Nec contra hunc medicina valet, nec Apollinis artes;
Immò etiam Phœbus captus amore fuit.
Hinc quod, sponse, ferit Themidis te castra secutum
Teliger, insolitæ nil novitatis habet.
Vulneribus sed, Sponse, tuis medicamina grata,
Haud opus est medicis, sedula sponsa parat.
Hanc solam admittas, soli tua vulnera credas;
Nec dubita, exiguo tempore sanus eris.

B

Hanc

Hanc solam agnoscas Medicam sine crimine doctam,
Optasti thalami quam sociam ipse tui,
Moribus optabas esset quæ prædita honestis,
Moribus hæc tanquam lucida stella nitet.
Quæ coleret CHRISTUM, toto tibi corde rogabas,
Hunc colit hæc verâ religione, fide;
Notitiam curamque domus cui credere posses,
Novit & hæc curam notitiamque domus.
Si genus & formam castâ hac in virgine spectas,
Et genere & formâ est condecorata satis.
O te felicem, præstans cui tam datur AGNES,
AGNES vel cunctis anteferenda bonis.
Divitias & opes possunt dare sæpe parentes,
Cœlitus est AGNES commoda missa venit.
Gratulor ergo tibi multum, clarissime Doctor,
Gratulor incœptis lætor ovoque tuis.
Quod reprobas flammæ, vetitosque exosus amores
Mavis connubij commoditate frui;
Scilicet exemplis motus, suavisque parentum
Nec non mandato motus Apostolico:
Vir teneat, vetitas magis ut compescat amores,
Quisque tori sociam, femina quæque Virum.
Est etenim melius sociali federe jungi,
Quam flammis uri, sæve Cupido, tuis.
Hoc quoque dogma sacrum gravis approbat autor is, olim
Hæcque iussa dedit gens recutita tibi:
Mortales inter cunctos venerabile tædæ
Sit jus, ac carus sit sine labe torus.
Attamen invenies quos hæc dementia cepit,
Interdicendi jura marita thori,
Sacrificis, Monachis, Canones sine lege, professis,
Cardineis dominis, præsulibusque sacris.

Est hoc

Est hoc grande nefas & quavis morte piandum.
Tollere juratori, quæ DEUS ipse probat.
O miseras hominum mentes, ô pectora cæca.
Credientum falli lumina posse DEI.
Qui prohibes casti socialia federe lecti,
Federa mortali non violanda viro.
Proh dolor, æternum tristem damnatus ad orcum.
Mox fies stygijs præda petita lupis.
Tolle sacras tædas, thalamum prohibeto jugalem,
Quis pinguem impresso vomere vertet humum?
Quis sparget sancti cœlestia semina verbi?
Quis dicet pressis jura sacrata viris?
Legitimi thalami nisi gaudia blanda parentes
Cepissent, esset vita negata tibi.
Effet & hic vacuus terræ vastissimus orbis,
Si sine conjugij federe vita foret.
Cedite pontifices ergo, procul ite pudoris
Hostes Virginei, legitimi que tori.
Cedite sacrifici, lascivi cedite fratres,
Omnis cede sacræ gens inimica facis.
Est igitur meritò tua laude vehenda voluntas,
Quod castâs tædas, optime Sponse, paras;
Et pluris facias summi decreta Tonantis,
Quàm quæ pontificum turba maligna jubet.
Tu modò connubij casti pia federa serva,
Atque tuam AGNETEM vero in amore fove.
Tu quoque Sponsa tuum semper venerare DAVIDEM,
Crede mihi digno juncta ferere viro.
Hunc solum foveas, hunc pectore dilige toto,
Sis studiosa DEI, sis studiosa VIRI.
Sic vestros nunquam benedictio larga nepotes
Deseret, æterno curæ eritisque DEO.

Jam voco, quæ flammæ quondam sensistis amoris,
Numina, vos facili promite dona manu.
Fruge CERES Sponfos ornet, LIBERQUE Lyæo,
JUNO opibus, multâ sed sobole alma VENUS.

*Johannes Splithutius Hoimensis Anhalt-
fausti ominis ergo accinebam.*

ALIVD.

Iustinianus ijs, sinuosa volumina juris
Qui voluunt studio, multos promittit honores:
Discite vos juvenes, dicens, sacra discite jura,
Mente alacriq; vijs vigiles sic pergite cæptis,
Ut ceu militia quondam per castra togata
Sitis honore duces, & premia magna ferentes:
Aularum celebres vestrum se namq; magistros
Ostendent quidam, quidam feliciter urbes
Consilijs magnas, doctis monitisq; juvabunt,
Huncq; salutabunt Doctorem, Syndici & urbis
Ille feret celebrem præclarâ nomine famam.
Alter erit Consul, Prator, Camerarius alter.
Ille Senatoris munus geret, illeq; rebus
Succurret fractis, clades hic arte levabit.

Hancce viam à pueris certâ ratione secutus
Tu quoq; DOCTOR habes, quæ spondet premia Cesar:
Dum præsigne decus, dum lumine juris & equi
Legitimo causas jam dirigis ordine juris,
Defendisq; bonos, & magna negotia tractas,
Consilioq; juvas multos; multi ergo celebres,
Crede, viri generum sibi te optavere, puella
Te Bernburgenses omnes petiere maritum:
Verum nulla tibi (quod miror) in urbe, sed extra
Urbem præ reliquis placuit perpulchra puella

Que

Qua Bernburgensi cuius virtute bonisq;
Moribus, & formâ certet facieq; puella,
Quam pietate gravis vir primis fovit ab annis
PAVLVS, sacrati Pastoris munia curans:
Vnde bonos didicit mores vitamq; pudicam,
Nec non est vario ritè assuefacta labori,
Vt queat esse domus Doctoris firma columna.
Quocircâ prudenter agis clarissime DOCTOR
Legum, discedis sacro nec ab ordine Legum,
Bernburgo minimè celebri quod in urbe, sed extra,
Virgine formosâ thalami pia pacta secundi
Contrahis, eventus posthac habitura secundos:
Qua, precor, ut faciat pulchrâ te prole parentem.
Qua referat claros ore ingenioq; parentes.
Adsit, adest, aderit, CHRISTVS tibi rector olympi
Dum vaga BERNBURGVM, vestram SALA ambiat
urbem.

Johannes Cöppenius Servestanus.

ALIUD.

Sponse pie, Antistes Themidos, clarissime Do-
Ingenio magnū laudis adeptæ decus; (Etor,
Cum sit junctâ tibi thalamo castissima Nympha
AGNES, quæ nomen non habet ex nihilo.
Fas erit hoc illi certa ratione tributum,
Non cæca sortis dote putare datum:
Quod docet eventus, sunt omina nomina sæpe,
Conveniunt rebus nomina sæpè suis.

B 3

Numinis

Numinis instinctu factum, quod nomine castæ
Virginis, haud alio nominata fuit.
Nomine quis sponsæ sponsus non gaudeat isto?
Quis non ut felix omen id esse putet?
Aurea dicatur vel quælibet altera, certè
Nil castâ Nymphâ carius esse potest.
Non ciet hæc lites, non est ingrata marito,
Hæc tibi curarum dulce levamen erit.
Illorum nihil hæc tua nomine sponsa minatur
Doct̃or, juridici fama decusq̃, chori.
Se Nympham CASTAM promittit ubiq̃, futurã,
Nubila seu fuerit, siue serena dies.
Copula vos Charitum conjungat mutua sponso,
Quam solet amplexus dulcis, amorq̃, sequi.
Hanc ne fatorum subito vis invida solvat,
Te precor ô cœli qui regis astra, DEUS.

Theodorus Fabricius Junior
Servestanus.

A L I U D.

TE DEUS omnipotens, qui verbo cuncta
creavit,
Clare vir, Aonidum genus, Antistesq̃, sororum,
Admonuit viduo mœstum discedere lecto,

Arg.

Atq; tibi voluit castam bellamq; puellam,
Fungi iterũ, postquam raptæ est suavissima con-
Morte tibi. Quare summi regnator olympi, (jux
Qui te sine finis demto prece supplice vinci,
Fac maneat claro Doctõri virgo superstes,
Flammigerâ dum Sol lustrabit lampade terras.
Ut sobolem generent & pignora dulcis amoris
Natorum natos & qui nascuntur ab ipsis
Da videant leti, semper sit mutua junctis
Gratia divino crescat domus aucta favore.

Φιλίας καὶ μνήμης ἕνεκα scripsit

Thomas Vvolffius Servest. Anhalt.

A L I U D.


Quibus canam te versibus
Legum atque juris optime,
Doctõr, quibúsque plausibus
Tibi gratulabor & tuæ
Sponsæ piæ & castissimæ,
Venientis ambo cum in torum,
Cujus Jehova maximus
Est autor & fautor quoque:
Restare nam nihil mihi
Nî vota sacrata video
Quæ proferam nam maximus

Mo-

Movetur illis rex poli
Salum, solum qui condidit:
Felix suave sit, precor,
Sponsis novis connubium,
Non lædat unquam vos mala,
Lis, absit omni tempore
Discordia, at concordia,
Favor, amor adsit mutuus,
Vivatis annos Nestoris,
Videatis atque posteros.

*Matthæus Wolffius
Servestanus.*





Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







69. LX.

63



Γ Α Μ Η Λ Ι Α

Solennitati nuptiarum secundarum

Clarissimi & Consultiss. Viri

Dn. D A V I D I S J. U. D.

Reverendi & doctissimi Viri, M. ZACHA-

R I Æ V V E N N E M E Y E R I, Ecclesiæ

Plötzkavianæ & Vvirsrebiensis ad

ripam Salæ pastoris vigi-

gilantis. filij,

S P O N S I,

Cum

Honestissimâ ac pudicissimâ virgine

A G N E T E,

Reverendi & doctissimi Viri M. SIMONIS

R E I N H A R D I, Ecclesiæ Hoimensis

pastoris vigilantis. filiâ,

S P O N S A,

Bernburgi Anhaltinorum die V. Decemb.

Anni MDCVIII celebratarum.

Ab amicis

Nuncupata, pacta, cantata.

Servestæ excudebat Christophorus Vveida.

61.

